

nibus, pro quibus nos multos sustinemus labores : exercentur enim et militanti, ut communibus utiles sint rebus.

CAP. I.

Sint igitur omnes scientes, qui milites aut federatos aliquos in suis habent domibus aut possessionibus, aut qualitercumque observantes, et quasdam eis proprias implentes utilitates : quod nisi intra triginta dierum dilationem, computandorum ab insinuatione per loca presentis nostre dispositionis, eos expulerint : substantiæ quidem habentium eos, aut retinentium publicationi subjectæ, fisco applicabuntur : ipsi vero et dignitatibus et militiis, quas habent, expellentur : milites vero et federati qui eis post dilationem observaverint, non solum militia spoliabuntur, sed etiam ultima sustinebunt supplicia : scientibus etiam uniuscujusque provinciæ iudicibus, quia si aliqui inveniuntur in locis quæ sub his sunt exactoribus, aut convictoribus, aut personis aliquibus aut dominiis, aut possessionibus, aut quibuslibet propriis utilitatibus permanentes, et non celeriter istos comprehenderint, et suppliciiis subdiderint, et milites quidem ad numeros suos transmittant in quibus militanti, federatos vero ad proprias optiones : ipsi decem librarum auri pœnam exigentur, et insuper exilio tradentur, utpote nostras jussiones præsumentes negligere. Nemo igitur neque divino quodam typo de hoc forsano facto, neque præceptis iudicum utatur, neque aliquis nostrorum iudicum hujusmodi aliquos typos aut præceptiones iudicum suscipiat, sed cum omni celeritate militantes quidem ad proprios numeros, federati vero ad suas optiones revertantur, et pro communibus certent rebus : nullo enim modo de cætero concedimus nostros milites aut federatos in quibusdam omnino privatis utilitatibus occupari.

EPILOGUS.

Quæ igitur placuerint nobis, et per præsentem manifestata sunt legem, tua eminentia præcognoscens, in hac quidem felicissima civitate edictis secundum morem propositis, in provinciis vero præceptionibus destinatis, omnibus manifesta constituere festinet. — Dat. id. april. Constantinop., imp. DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno 15, BASIL. V. C. CONS.

TIT. XVIII.

UT LICEAT MATRI ET AVIÆ, ET ALIIS PARENTIBUS POST LEGITIMAM PARTEM LIBERIS DERELICTAM, QUOMODO VOLUERINT RESIDUAM FACULTATEM SUAM DISPONERE, ET ALIA CAPITULA PLURA.

NOVELLA CONSTIT. CXVII.

Imp. JUST. AUG. Theodoto Orientalium prætoriorum præfecto.

PREFATIO.

Diversis capitulis ad nos relatis, necessarium esse perspeximus generali hac lege disponere.

CAP. I. Si quis filiumfamilias heredem instituerit, ut pater ipsius usumfructum hereditatis non habeat.

Sancimus igitur licentiam esse et matri et aviæ, aliisque parentibus, postquam reliquerint filiis partem, quæ lege debetur : quod reliquum est suæ substantiæ sive in solidum voluerint, sive in partem, filio vel filiarum, nepoti vel nepti, et deinceps descendentiibus donare, aut etiam per ultimam relinquere voluntatem, sub hac definitione atque conditione, si voluerint ut pater aut qui omnino eos habent in potestate, in his rebus neque usumfructum, neque quodlibet penitus habeant participium. Hæc enim, et extraneis relinquere poterant, unde nulla parentibus utilitas nasceretur. Hoc itaque non solum parentibus, sed etiam omni personæ licere præcipimus. — § 1. Res autem ita relicta sive donata positæ sub potestate personis, si quidem perfectæ sint ætatis : licet sub potestate sint, licentiam habeant quo volunt modo disponere. Si vero ætate minores sint : per quem perspexerit testator, aut donator, hæc gubernentur, donec illi quibus donata sunt aut relicta, ad perfectam ætatem veniant : licentiam habente testatore, vel donatore, et matri et aviæ horum quibus res collatæ sunt, ipsarum rerum, si voluerint gubernationem committere, licet maritis junctæ sint memoratæ mulieres : ita tamen, si et ipsæ hujusmodi gubernationem suscipere voluerint. Si vero forsant

Tr. XVII. — 1. L. 31, C. de locato. — 2. L. ult. C. d. l. Tr. XVIII. — 1. Authent. Excipitur, C. de bonis que liberis. — 2. L. 5, § 3, D. de usuris; L. 4, C. de confirm. tut.; L. 5, vers. similis, D. de excoisat. — 3. Tit. D. de tutorib. datæ. — 4. Authent. Si quis liberis, C. de natural. liber. — 5. N. 89, c. 11, § 1; addit L. 6, L. 7, C. de natural. liber. — 6. Authent. Maximis, C. de nuptiis; Authent. Sed excojure, C. de natural.

is qui relinquit, aut donat, nullum his dispensatorem ordinarerit, aut ab eo datus hujusmodi gubernationem subire noluerit, aut non poterit, aut moriatur antequam illi perfectæ fiant ætatis, tunc jubemus iudicem competentem curatorem fide dignum cum legitima fideiussione rebus talibus ordinare, qui debeat relicta talibus personis substantiam gubernare atque custodire, donec illi ad perfectam (sicut dictum est) ætatem perveniant. In illis enim casibus legem quæ usum parentibus præbet, volumus custodiri, quibus non inest specialiter hujusmodi conditio.

CAP. II. De eo qui in aliquo instrumento nominatus est filius.

Ad hoc autem et illud sancire perspeximus : ut si quis filium aut filiam habens de libera muliere cum qua nuptiæ consistere possunt, dicat in instrumento, sive publica sive propria manu conscripto, et habente subscriptionem trium testium fide dignorum, sive in testamento sive in gestis monumentorum, hunc aut hanc filium suum esse, aut filiam, et non adjecerit naturalem : hujusmodi filios esse legitimos, et nullam aliam probationem ab iis quaeri, sed omni frui eos jure quod legitimis filiis nostræ conferuntur leges : utpote ipso patre (sicut dictum est) filios proprios eos vocante, ex hoc enim et cum eorum matre monstratur legitimum habuisse matrimonium : ut neque ab ea pro nuptiarum fide alia probatio requiratur. Si autem pater ex ipsa muliere multos filios habens, uni ex eis testimonium quolibet ex predictis præbuerit modis : sufficere ex eadem muliere natis, ad legitimorum jura patris testimonium unitatum.

CAP. III. De muliere quæ sine dotalibus instrumentis nupsit.

Hoc quoque præsentis constitutioni perspeximus adjiciendum : ut si quis ex non scripto per affectum nuptialem uxorem acceperit, et ex ea filios procreaverit : soluto autem matrimonio contingat cum etiam aliam ducere conjugem cum dotalibus instrumentis, et ex ea similiter filios procreare nullum circa paternam hereditatem aliis filiis ex indotata conjugis natis præjudicium fieri : sed cum aliis filiis ex secunda natis uxore, quæ cum dotalibus instrumentis copulata est, ad patris etiam illas hereditatem vocari, cum etiam ex solo affectu possit consistere matrimonium : quod similiter valere volumus, etiam si prius quidem cum dotalibus instrumentis jungatur aliquis uxori, post illam vero alteram ducat solo nuptiali affectu.

CAP. IV. De nuptiis illustrium, ut cum dotalibus instrumentis fiant.

Quia vero legem dudum protulimus jubentem aut dotalia fieri documenta, aut alias probationes procedere factas apud ecclesias defensores, per quas nuptias competat confirmari, aut certe sacramenta præberi : in præsentem perspeximus melius disponere ea quæ de his pridem sancita sunt. Et propterea jubemus eos qui maximis dignitatibus decorati sunt, usque ad illustres, non aliter nuptias celebrare, nisi dotalia scribantur instrumenta : nisi tamen aliquis antequam mereretur hujusmodi dignitates, ex affectu solo duxit uxorem. Tales enim nuptias ante dignitates factas, et post dignitates, legitimas manere præcipimus, et ex his natos legitimos esse filios. Postquam vero honorati fuerint aliqui hujusmodi dignitatibus : non aliter ducere uxores, nisi cum dotalibus instrumentis. Hanc autem legis subtilitatem concedimus subjectis nostræ reipublice Barbaris, licet dignitatibus hujusmodi decorati sint, ut etiam sub affectu possint ipsi volentes contrahere nuptias. Reliquos autem omnes præter eos qui maximis (sicut dictum est) dignitatibus decorati sunt, cujuslibet sint dignitatis, aut militiæ, aut studii, si quidem voluerint, aut poterint, non prohibemus eos cum dotalibus instrumentis ducere uxores. Si autem etiam hoc non custodierint, et ex solo affectu celebratas nuptias firmas esse sancimus, et ex eis natos, legitimos esse filios jubemus.

CAP. V. Utrum matrimonium est sine dote, et conjux superstes inops, mortui quartam partem accipiat.

Quia vero legem dudum posuimus præcipientem, ut si quis uxorem aliquando sine dotalibus acceperit, cum affectu solum nuptiali, et hanc sine causa legibus agnita projeceri : accipere eam quartam partem substantiæ ejus; et aliam post hanc fecimus legem decernentem : si quis indotatam uxorem per affectum solum acceperit, et usque ad mortem cum ea vivens, præmoriatur, accipere similiter et eam quartam illius substantiæ portionem : ita tamen, ut non transcendat hoc centum librarum auri quantitatem. In præsentem melius utramque legem disponentes, sancimus in utroque casu ex talibus matrimoniis natos filios, legitimos esse, et ad paternam vocari hereditatem : uxorem autem ex utroque horum casuum, siquidem vocari ad tres habuerit filios

liber. — 7. N. 74, c. 4, § 1 et 2, c. 5. — 8. N. 22, c. 5, d.; N. 74, c. 4. — 9. N. 55, c. 5; N. Leon. 106. — 10. Authent. Præterea, C. unde vir et uxor. — 11. d. N. 53, c. 6. — 12. N. 22, c. 18; N. 74, c. 5; N. 124, in fin.; L. 11, § 1, C. de repudiis. — 13. d. N. 74, c. 5. — 14. d. N. 22, c. 15.

ejus vir sive ex ea, sive ex alio matrimonio, quartam partem ex substantia viri accipere. Si autem amplius fuerint filii : tantum in utroque similiter casu accipere jubemus mulierem quantum uni competit filiorum : ita quippe, ut usum solum in talibus rebus mulier habeat : dominium autem illis filiis servetur, quos ex ipsis nuptiis habuerit. Si vero talis mulier filios ex eo non habuerit, jubemus etiam domini jure habere eam res, quas ex viri facultatibus ad eam venire per præsentem justissimam legem. Quæ tamen irrationabiliter exclusæ est : in ipso tempore expulsionis partem jubemus accipere, quæ continetur hac lege. Virum enim in talibus casibus quartam secundum priorem nostram legem, ex substantia mulieris accipere, modis omnibus prohibemus.

CAP. VI. De Leoniana et Constantiana constitutione.

Illo indubitanter observando, ut Leonis piæ memoriæ constitutio in omnibus aliis casibus qui continentur præsentem lege, propriam habeat fortitudinem. Constantini vero piæ memoriæ legem ad Gregorium scriptam, et super ea factam interpretationem a Martino piæ memoriæ, per quam mulierum conjunctiones (quas Constantini lex abjectas vocavit) ad quosdam dignitatibus decoratos prohibentur, nullo penitus modo valere permitimus : sed licentiam volentibus præbemus, etsi quibuslibet magnis dignitatibus decoratur, hujusmodi mulieres cum dotalibus instrumentis sibi met copulare. Reliqui vero citra eos qui majoribus dignitatibus decorati sunt, licentiam habeant hujusmodi mulieres accipere, sive scripto voluerint, sive solo affectu nuptiali : si tamen libere sint, et cum quibus liceat nuptias celebrare.

CAP. VII. Solutio per repudium matrimonio quomodo et apud quem liberi alantur.

Illud quoque disponendum esse perspeximus, ut si quando inter maritum et uxorem nuptias solvi contigerit : ex hujusmodi nati filii, nullo modo ledantur ex separatione nuptiarum, sed ad parentum hereditatem vocentur, ex patris substantia indubitanter alendi. Et si quidem pater occasionem separationis præbeat, et mater ad secundas non venerit nuptias : apud matrem nutriantur, expensas patre præbente. Si vero per causam matris ostendatur solutum matrimonium : tunc apud patrem maneat filii, et alantur. Si autem contigerit patrem quidem minus idoneum esse, matrem vero locupletem : apud eam pauperes filios manere et ab ea nutrirî jubemus. Quemadmodum enim filii locupletes coguntur matrem egentem alere : ita justum esse decernimus et a matre locuplete filios pasci. Quod autem de alenda matre, et filiis indigentibus definitivum, hoc quoque in omnibus ascendentibus descendentibusque personis utriusque naturæ valere præcipimus.

CAP. VIII. De justis divortiorum causis marito permittis.

Quia vero plurimas in veteribus et nostris legibus invenimus causas ex quibus facile nuptiarum solutiones fiant : ea causa perspeximus ex his abscondere aliquas, quæ nobis indignæ ad solvendas nuptias visæ sunt : et eas solummodo nominatim præsentem inserere legi, pro quibus rationabiliter potest sive vir sive mulier repudium mittere. Nunc autem causas ex quibus maritus repudium mittere sine periculo potest, et dotem uxoris lucrari, servato in ea dominio ex eodem matrimonio filiis aut filiabus, quibus non extantibus, frui etiam proprietate : has esse decernimus. — § 1. Si contra imperium cogitantibus aliquibus conscia est mulier, aut etiam viro suo non indicet. Si autem vir hoc a muliere denunciatum tacuerit, liceat mulieri per quancunque personam hoc declarare imperio : ut vir nullam ex hac causa repudii inveniat occasionem. — § 2. Si de adulterio maritus putaverit posse suam uxorem convinci : oportet virum prius inscribere mulierem, aut etiam adulterum : et si hujusmodi accusatio verax esse ostenditur, tunc repudio misso habere virum super ante nuptias donationem, etiam dotem : et ad hoc, si filios non habeat, tantum accipere ex alia uxoris substantia, quantum dotis tertia pars esse cognoscitur : ut ejus proprietati et dos, et a nobis definita pœna applicetur. Si enim filios habuerit ex eodem matrimonio, jubemus etiam dotem (secundum quod de hoc censent leges) aliamque mulieris substantiam filiis conservari : et ita adulterum legitime convictum, una cum uxore puniri : et si quidem habeat uxorem adulter, accipere eam et dotem propriam, et propter nuptias donationem ; et si filios habeat, solo usum mulier fruatur donationis, proprietate secundum leges filiis servanda, aliam vero mariti substantiam ejus filiis ex nostra largitate donamus, filiis autem non existentibus, antenuptialis quidem donationis proprie-

45. Abrogat. N. Leon. 106. — 16. L. 9, C. de pacis convent. — 17. L. 1, C. de natural. liber. — 18. L. 7, C. de incest. et inult. nupt. — 19. N. 78, c. 5; abrog. L. 16, pr.; L. 43, in fin.; L. 44, D. de ritu nupt.; d. L. 7, § 20. N. 98, c. 2. — 21. Authent. Si pater, C. diversio facta apud quem liberi morari. — 22. L. un. C. d. l. — 23. Fac. L. 1, § 2, D. de liber. exhib. — 24. L. 4, § 15, D. de agnosc. et adop. liber. — 25. N. 22, c. 15; addit N. Leon. 112, 113. — 26. Authent. Sed novo jure, C. ad leg. Jul. de adulteris. — 27. c. 9, §

tatem mulieri competere sancimus : aliam vero mariti substantiam omnem fisco secundum antiquas applicamus leges. — § 3. Si quolibet modo mulier vitæ viri fuerit insidiata : aut aliis hoc facientibus consentiens, viro non indicaverit. — § 4. Si cum viris extraneis nolente marito convivatur, aut cum eis lavatur. — § 5. Si nolente viro foris domum manserit : nisi forsant apud proprios parentes. — § 6. Si circensibus aut theatris aut amphitheatris interfuit ad spectandum, ignorante aut prohibente viro. — § 7. Si vero contigerit aliquem citra unam prædictarum causarum uxorem suam a domo propria expellere, et illa non habens parentes apud quos possit manere, ex necessitate foris habitet nocte : jubemus nullam esse marito licentiam propter causam hanc repudium mittere uxori, eo quod ipse hujus rei auctor existat.

CAP. IX. De justis divortii causis mulieri concessis.

Causas autem pro quibus rationabiliter potest viro a muliere mitti repudium, ex quibus potest et dotem recipere, et propter nuptias donationem exigere, similiter filiis servanda donationis proprietate, aut, filiis non extantibus, habere etiam hujusmodi dominium, has esse solas disponimus. — § 1. Si contra imperium aut ipse cogitaverit aliquid, aut cogitantibus conscius non indicaverit imperio, aut per se aut per quancunque personam. — § 2. Si quolibet modo vir insidiatus fuerit vitæ mulieris, aut aliis hoc volentibus sciens non manifestaverit uxori, et studuerit secundum leges ulcisci. — § 3. Si maritus uxoris castitati insidiatus, aliis etiam eam adulterandam tentaverit tradere. — § 4. Si vir de adulterio inscripserit uxorem et adulterium non probaverit, licere mulieri volenti, etiam pro hac causa repudium destinare viro, et recipere quidem propriam dotem, lucrari autem et antenuptialem donationem : et pro hujusmodi calumnia, si filios non habuerit ex eodem matrimonio, tantum secundum proprietatem accipere mulierem ex alia viri substantia, quantum antenuptialis donationis tertia pars esse cognoscitur. Si autem filios habuerit, jubemus omnem viri substantiam filiis conservari : firmis manentibus, quæ de antenuptiali donatione aliis legibus continentur : ita tamen, ut etiam propter illatam adulteri accusationem et non probatam, illis quoque maritus subda'ur suppliciiis, quæ esset passura mulier, si hujusmodi fuisset accusatio comprobata. — § 5. Si quis in ea domo in qua cum suo conjugio commanet, contemnens eam, cum alia inveniat in ea domo manens : aut in eadem civitate degens, in alia domo cum alia muliere frequenter manere convincitur, et semel et secundo culpatus, aut per suos, aut per mulieris parentes : aut per alias aliquas fide dignas personas hujusmodi luxuria non abstinuerit : licere mulieri pro hac causa solvere matrimonium, et recipere datam dotem, et antenuptialem donationem, et pro tali injuria tertiam partem æstimationis, quam antenuptialis facit donatio, ex ejus substantia percipere : ita tamen ut si filios habuerit, usum solo mulier potiarum rerum, quas ex antenuptiali donatione, et pena tertiæ portionis, mariti substantiam acceperit, dominio communibus filiis conservando. Si autem filios non habuerit ex eodem matrimonio, habere eam talium rerum etiam proprietatem præcipimus.

CAP. X. Ut non liceat consensu matrimonium dissolvere, nisi ex causa probabili.

Quia vero ex consensu aliqui usque ad præsens alterna matrimonia solvebant, hoc de cætero fieri nullo sinimus modo, nisi forte quidam castitatis concupiscentia hoc fecerint. Si autem hujusmodi personæ filios habuerint : tam dotem quam antenuptialem donationem eorum filiis conservari disponimus. Si quis autem horum aut maritus forsant aut uxor, postquam propter castitatem ex consensu solverit matrimonium, inveniat alias contrahens nuptias, aut luxuriose vivens : jubemus, si quidem (sicut dictum est) filii fuerint ex memorato conjugio, super dotem et propter nuptias donationem, eis tradi et proprietatem pene substantiæ illius quæ convincitur deliquisse personæ. Si vero filii minoris sint ætatis : gubernari eos et pacisci ab illo parente præcipimus, qui nihil præsentem legi contrarium egerit. Si autem ambo parentes in hujusmodi vitium incidant, tunc utriusque parentis substantiam filiis applicari : dispensatorem autem eis, qui in minori sunt ætate constituti ordinari providentia competentis iudicis et aliorum quibus hæc ex nostris legibus sunt commissa. Si autem filii non sint, utriusque personæ substantiam fisci rationibus applicari, et eos qui talia deliquerunt legitimis subdi suppliciiis. Aliter enim separationem matrimoniorum fieri ex consensu, nulla ratione permitimus.

1. infr. hic. — 28. Fac. L. 2, D. ad leg. Pompej. de parricid.; L. 1, C. de falsa moneta; L. ult. C. de maliciis. — 29. Abrogatur per L. 50, C. ad leg. Jul. de adult. — 30. N. 134, c. ult. — 31. N. 22, c. 15, § 1, c. 16, § 1. — 32. N. Leon. 54, in fin. — 33. Idem est N. Leon. 50 et 51. — 34. N. 22, c. 15, § 1. — 35. Authent. Sed novo, C. de repudiis. — 36. c. 6, § 1. — 37. § 2, in fin. Inst. de injuriis. — 38. Authent. Quod hodie, C. de repudiis. — 39. Abrogatur N. 22, c. 4; L. 9, C. de repudiis; sed reducitur per N. 149.

CAP. XI. *Quod tempus exspectare maritum in expeditione degentem debeat mulier.*

Quod⁴⁰ autem a nobis sancitum⁴¹ est de iis qui in expeditionibus sunt et in militiis constituti, sive milites sint, sive fœderati⁴², sive scholares, sive alii quidam sub alia quacunq[ue] militia armata constituti: melius ordinare perspeximus; et iubemus, quantoscunq[ue] annos in expeditione manserint, sustinere eorum uxores: licet nec literas nec responsum aliquod a suis maritis susceperint. Si qua vero ex huiusmodi mulieribus suum maritum audierit esse mortuum, neque tunc ad alias eam venire nuptias sinimus, nisi prius accesserit mulier aut per se aut per suos parentes, aut per aliam quacunq[ue] personam, ad priores numeri chartularios, in quo huiusmodi maritus militabat: et eos, seu tribunum (si tamen adest) interrogaverit, si pro veritate mortuus est ejus conjux: ut illi sacris Evangeliiis propositis sub gestis monumentorum deponant, si pro veritate vir mortuus est. Et postquam hæc gesta monumentorum confecta mulier pro suo testimonio perceperit, etiam post hoc jubemus manere eam per unius anni spatium, ut etiam post hunc decursum liceat legitimis contrahere nuptias. Si autem præter hanc observationem mulier præsumperit ad aliqd venire matrimonium: et ipsa, et qui ducit eam uxorem, velut adulteri puniantur. Si autem qui sub gestis monumentorum eum iurejurando testati sunt, convincerentur etiam falsum postea deposuisse testimonium: ipsi quidem militia denudati, decem auri librarum poenam compellantur exsolvere illi quem mentiti sunt mortuum esse: ipse vero licentiam habeat, si voluerit, suam⁴⁵ uxorem recipere. Si vero scholaris fuerit ille de cujus morte dubitatio est, a primis scholæ et actuario: si autem fœderatus, ab optione ejus memoratam depositionem accipere ejus uxorem, his observandis, et circa alios omnes, qui in armata militia referantur.

CAP. XII. *Ex quibus causis matrimonium sine poena solvatur.*

Prædictis itaque causis proximis etiam has nominatim adicere, ex quibus matrimonia sine poena licet transigere: hoc est, de iis qui⁴⁴ non potuerunt ab initio nuptiarum misceri suis uxoribus, et quæ per naturam viris concessa sunt, agere: insuper de iis viris ac feminis, qui consistente matrimonio sanctimonialium⁴⁵ conversationem et monasterii habitationem elegerint, et de iis personis quæ in captivitate⁴⁶ aliquanto tempore detinentur: in his enim tribus casibus quæ de eis prioribus nostris legibus continentur, firma esse sancimus. Memoratas igitur omnes causas, quæ in præsentis nostra lege continentur, solas sufficere jubemus ad transactionem legitimorum matrimoniorum. Reliquas autem omnes vacare præcipimus, nullamq[ue] aliam causam citra eas quæ nominatim insertæ sunt huic legi posse solvere legitimum matrimonium, sive nostris sive veteribus legibus continentur.

CAP. XIII. *Si⁴⁷ mulier sine justa causa marito suo repudium miserit.*

Quia vero quædam mulieres inhoneste volentes vivere festinant propria matrimonia solvere: sancimus si quando mulier citra aliquam prædictarum a nobis causarum voluerit matrimonium solvere, licentiam quidem eam non habere hoc agere: si vero permanserit in huiusmodi impia voluntate, et repudium marito transmiserit: jubemus dotem quidem viro dari, communibus filiis secundum legem servandam: si autem filios non habuerit, lucrum fieri marito, mulierem vero periculo iudicis negotium audientis tradi episcopo civitatis, in qua communiter domicilium habuerint, quatenus illius providentia in⁴⁸ monasterium ipsa mittatur, ut quoad vixerit, debeat ibi consistere: et si quidem filios habuerit huiusmodi mulier, duas partes propriæ ejus substantiæ dare filiis: tertiam vero monasterio in quod mittitur, applicare jure proprietatis. Si vero filios non habuerit, sint autem ei parentes: duas partes quidem ipsius substantiæ monasterio præberi ubi mittitur, tertiam vero partem illius parentibus dari: nisi tamen sub potestate eam habentes, irrationabili repudio consenserunt: in hoc enim consentientes, nihil eos penitus ex substantia filiarum habere permittimus: sed hæc omnia venerabili monasterio volumus applicari. Porro neque filiis, neque parentibus existentibus ei omnem similiter ejus substantiam competere monasterio. Si vero iudex qui negotium examinat, hoc non fecerit, id est, tradiderit in hoc deprehensam civitatis episcopo, ut debeat in monasterium mitti: siquidem in hac felicissima civitate sit iudex, ipse quidem vigintiquinque librarum auri poenam exigatur: officium autem ejus alias decem. Si vero in provincia sit huiusmodi iudex, et non egerit quæ a nobis in hac iussa sunt, decem librarum auri persolvat poenam, et officium ejus alias quinque. Si vero iudex fuerit non habens cingulum, ipse quidem poenam

40. Authent. Hodie, C. de repudiis. — 41. N. 22, c. 14. — 42. N. 116, c. 1. — 43. N. Leon. 35. — 44. N. 22, c. 6; L. 10, C. de repudiis. — 45. d. N. 22, c. 5; N. 125, c. 3; L. 60, § 1, D. de donat. inter vir. et uxor.; L. 53, in fin.; L. 16, pr. C. de episcopis. — 46. d. N. 22, c. 7. — 47. N. 22, c. 18, in fin.; c. 18, in fin.; N. 134, c. 1; L. 8, § 4; L. 11, § 1, C. de repud.

decem librarum auri exigatur, ministrantes autem ei quinque, quatenus multa quæ hinc accedit a memoratis personis, per comitem⁴⁹ rerum privatarum, et palatinorum scholam exigatur: et nostro assignetur arario. Si⁵⁰ autem et vir circa mulierem transigere studuerit matrimonium, et irrationabiliter repudium destinari: jubemus reddere quidem eum, quam susceperit dotem una cum sponsalitia largitate, et tantum ex alia ejus substantia præberi mulieri, quantum tertiam partem sponsalitiæ faciati largitatis, et si quidem ei filii sunt: solum usum et antenuptialis donationis, et a nobis additæ tertie partis mulierem habere: proprietatem vero filiis conservare, filiis autem non existentibus, habere mulierem super usum in ipsis rebus etiam proprietatem, et prædictas quidem dispositiones dissolutis rationabiliter aut etiam irrationabiliter nuptiis ordinamus: et omnia de memoratis casibus secundum hanc nostram constitutionem judicari et decidi decernimus.

CAP. XIV. *Si quis uxorem suam flagellis castigaverit.*

Si quis autem propriam uxorem flagellis aut fustibus cæciderit sine aliqua causarum, quas contra uxores ad matrimonii solutionem sufficere jussimus, matrimonii quidem solutionem ex hoc fieri nolumus⁵¹: virum autem qui monstratur sine huiusmodi causa vel flagellis vel fustibus cæcidisse uxorem suam, tantum pro huiusmodi injuria ex alia sua dare substantia uxori etiam constante matrimonio, quantum tertia pars antenuptialis facit largitatis.

CAP. XV. *Si quis suspicatus fuerit de aliquo, velle eum pudori uxoris suæ illudere.*

His⁵² quoque etiam illud adjicimus, ut si quis forsitan suspicatur aliquem velle suæ uxoris illudere castitati, et contestationes ei ex scripto tres destinaverit, habentes testimonia trium virorum fide dignorum, et post has tres ex scripto contestationes invenerit eum convenientem suæ uxori: siquidem in sua domo, aut ipsius uxoris, aut adulteri, aut in popinis, aut in suburbanis: esse licentiam marito propriis manibus talem perimere⁵³ nullum periculum ex hoc formidanti. Si vero in alio loco talem invenerit cum sua uxore loquentem: non minus tribus testibus fide dignis convocatis per quos probare possit, quod eum cum sua uxore comperit: iudici tradere crimina examiniandi. illum vero pro veritate cognoscens post tres ex scripto contestationes cum tali muliere eum inventum: talem quidem tanquam ex hoc solo adulterii crimini subjacentem, nulla alia ratione quæsitâ punire: licentiam autem exsequi crimen. — § 1. Quia vero ita comperitur aliqui impii, ut etiam in venerandis domibus præsumant in talibus se miscere sceleribus, et ibi de peccatis tractare, ubi conserverunt Deum timentes, peccatorum veniam postulare: jubemus, ut si quis talis inveniat in locis venerabilibus alienæ uxori, de qua in suspitione est, post tres (sicut dictum est) contestationes loqui, licentiam esse ejus marito utrasque personas defensori ecclesiæ aut aliis clericis tradere: ut ad eorum periculum divisim isti serventur, donec iudex hoc cognoscens mittat ad episcopum civitatis, quatenus ei isti tradantur, ut debeant sustinere tormentum secundum leges quæ interdum adulteros⁵⁴ a sanctissimis ecclesiis vindicari: nullam neque in hoc aliam iudice quærente de adulterio probationem, nisi tres (sicut jam supra diximus) contestationes, his enim tribus contestationibus ostensis, omnibus modis illi sicuti adulteri puniantur. Non enim debent huiusmodi personæ in venerabili loco munimen habere, quem ipsi per scelus proprium despexerunt: nam si eos qui alibi rapinas mulierum, aut adulteria committunt, et ad orationem domos confugiunt, ab eis vindicari nostræ leges non sinunt: quomodo illis qui in ipsa ecclesiâ tale scelus studuerint perpetrare, permittimus aliquod auxilium ex ecclesiasticis terminis invenire? sed omnibus modis iudicibus eos tradi, et poenam sustinere qua digni sunt, qui sanctissima loca violare præsumunt. Quis enim ibi delinquit, ubi salutem petat? Et generaliter disponimus, ut si quis invenerit suam uxorem aut filiam aut neptem, aut sponsam in venerandis locis cum aliquo loquentem, et suspicatus fuerit turpis gratia causæ eos colloqui: tradat eos defensori, aut aliis sanctissimæ ejus ecclesiæ clericis, ut ipsi suo periculo utrasque personas divisim tandiu custodiant, donec iudex eos accipiat, et secundum leges causas decernat.

EPILOGUS.

Quæ igitur per præsentem et in perpetuum valituram legem nostra definivit tranquillitas, in omnibus prædictis casibus valore volumus: nisi tamen nondum ad iudiciali decreto, aut amicabilem conventionem decisa sunt: quæ suum robur habere sancimus. Gloriosi igitur et eminentissimi auctoritas tua in hac quidem inelucta civitate edictis propositis ad

48. Adde d. N. 134, c. 10. — 49. Tit. C. de offic. com. rer. privat. — 50. Authent. Sed notor; C. de repudiis. — 51. L. 8, § 2, in fin. C. de repud.; N. 22, c. 15, § 1, in fin. — 52. Authent. Si quis, C. ad leg. Jul. de adult. — 53. L. 24, d. d. t. — 54. N. 17, c. 7.

notitiam perducant universorum: in provinciis autem per præcepta ad clarissimos provinciarum iudices destinata hæc omnibus facere manifesta festinet: ut nullus penitus ignoret, quæ pro utilitate nostrorum collatorum a nobis disposita sunt: ita tamen, ut omnibus per propria præcepta pronuntiet: quatenus sine quolibet injusto dispendio nostris collatoribus præsentis legis fiat insinuatō. — Dat. 15 kal. Jan. DN. Just. P. P. August. anno 15, BASIL. V. C. CONS.

COLLATIO NONA.

TIT. I.

DE HEREDIBUS AB INTESTATO¹ VENIENTIBUS, ET DE AGNATORUM JURE SUBLATO.

NOVELLA CONSTIT. CXVIII.

Imperator JUSTINIANUS AUGUSTUS Petro gloriosissimo præfecto sacrorum prætoriorum Orientis.

PRÆFATIO.

Plurimas et diversas leges veteribus temporibus prolatas invenientes, per quas non juste differentia² ab intestato successione inter cognatos ex masculis et feminis introducta est, necessarium esse perspeximus, omnes simul ab intestato cognationum successiones per præsentem legem clara compendiosaque divisione disponere: itaque prioribus legibus pro hac causa positus vacantibus, de cætero ea sola servari, quæ nunc constituitur. Quia igitur omnis generis ab intestato successio tribus cognoscitur gradibus, hoc est, ascendentiū, et descendentiū, et ex latere: (quæ in agnatos cognatosque dividitur) primam esse disponimus descendentiū successione.

CAP. I. *De descendentiū successione.*

Si³ quis igitur descendentiū⁴ fuerit ei qui intestatus moritur, cujuslibet naturæ aut gradus: sive ex masculorum genere, sive ex feminarum⁵ descendens, et sive suæ potestatis, sive sub potestate sit: omnibus ascendentiū et ex latere cognatis præponatur⁶. Licet enim defunctus sub alterius potestate fuerit: tamen ejus filii, cujuslibet sexus sint aut gradus, etiam ipsius parentibus præponi præcipimus quorum sub potestate fuerit, qui defunctus est, in illis⁷ videlicet rebus, quæ secundum nostras alias leges patribus non acquiruntur. Nam in usu harum rerum qui debet acquiri, ad servari nostras de his omnibus leges parentibus custodimus: sic tamen, ut si quem horum descendentiū filios relinquentem mori contigerit, illius filios aut filias, aut alios descendentes, in proprii parentis locum succedere, sive sub potestate defuncti, sive suæ potestatis inveniantur: tantam de hereditate morientis accipientes partem, quantumque sint, quantam eorum parens si viveret, habuisset: quam successione in⁸ stirpes vocavit antiquitas. In hoc enim ordine gradum quæri nolumus: sed cum filiis et filiabus ex præmortuo filio aut filia, nepotes vocari sancimus: nulla introducenda differentia sive masculi, sive femine sint, et seu ex masculorum seu⁹ feminarum prole descendant, sive suæ potestatis sive sub potestate sint constituti. Et hæc quidem de successione descendentiū disponimus. Consequens¹⁰ autem esse perspeximus et de ascendentiū constituere, quomodo ad descendentiū successione vocentur.

CAP. II. *De ascendentiū successione.*

Si igitur defunctus descendentes quidem non relinquat heredes, pater autem aut mater, aut alii parentes, ei supersint, omnibus ex latere cognatis hos præponi sancimus, exceptis solis fratribus ex utroque parente conjunctis defuncto, sicut per subsequentia declarabitur. Si autem pluri ascendentiū vivunt, hos præponi jubemus, qui proximi gradu reperiantur, masculos et feminas, sive paterni, sive materni sint. Si autem eundem habeant gradum, ex æquo¹¹ inter eos hereditas dividatur:

TIT. I.—1. Lib. 5, Inst. 1, ad fin. 25; Lib. 58, D. 6, 7, 8, 9, 11, 12, 16, 17; Lib. 6, C. 55, 56, 57, ad 61.—2. § 3, Inst. de legitima agnat. success.; L. 4, § 2, D. de gradibus et affinit.; § 3, Authent. In successione, C. de suis et legit.—4. L. 1, § 5, D. si tab. testam. nulla extab.—5. L. 3, C. unde legitimi; L. 14, C. de legit. heredib.—6. L. 21, L. 12, C. de suis et legit.—7. L. ult. C. de collationib.; L. 6, C. de bonis que lib. § 2, Inst. per quas personas cuique.—8. § 6, Inst. de hereditat. que ab intest.; L. 2, C. de suis.—9. N. 15, c. 4; L. ult., C. de suis; § 1, C. de legit. heredib.—10. Auth. Defuncto, C. ad SC. abrog. L. 9, C. d. l. § 15, Inst. de hered. que ab intest.—10. Auth. Defuncto, C. ad SC. Tertulii.—11. Fac. L. 8, D. de legit. tut.—12. Authent. Item hereditas, C. de bonis que li-

ut medietatem quidem accipiant omnes a patre ascendentes quancunq[ue] fuerint: medietatem vero reliquam a matre ascendentes, quantoscunq[ue] eos inveniri contigerit. Si¹² vero cum ascendentiū inveniantur fratres aut sorores ex utroque parentibus conjuncti defuncto: cum proximis gradu ascendentiū vocabuntur: si et pater aut mater fuerint, dividenda inter eos quippe hereditate, secundum personarum numerum, uti et ascendentiū et fratrum singuli æqualem habeant portionem: nullum¹³ usum ex filiorum aut filiarum portione in hoc casu valente patre sibi penitus vindicare, quoniam pro hac usus portione, hereditatis jus et secundum proprietatem per præsentem dedimus legem: differentia nulla servanda inter personas istas, sive femine, sive masculi fuerint, qui ad hereditatem vocantur: et sive per masculi, sive per femine personam copulantur: et sive suæ potestatis, sive sub potestate fuerit is, cui succedunt. Reliquum¹⁴ est ut tertium ordinem decernamus, qui vocatur ex latere, et in agnatos et cognatos dividitur: ut etiam hac parte disposita, undique perfecta lex inveniatur.

CAP. III. *De successione ex latere¹⁵ venientium.*

Si igitur defunctus neque descendentes neque ascendentes reliquerit, primos ad hereditatem vocamus¹⁶ fratres et sorores ex eodem patre et ex eadem matre natos: quos etiam cum¹⁷ patribus ad hereditatem vocavimus. His¹⁸ autem non existentibus, in secundo ordine illos fratres ad hereditatem vocamus, qui ex uno parente conjuncti sunt defuncto, sive per patrem solum, sive per matrem. Si autem defuncto fratres fuerint, et alterius fratris aut sororis præmortuorum filii, vocabuntur¹⁹ ad hereditatem isti cum de patre et matre thii masculis et feminis: et quancunq[ue] fuerint, tantam ex hereditate percipient portionem, quantum eorum parens futurus esset accipere, si superstes esset. Unde consequens est, ut si forte præmortuus frater, cujus filii vivunt, per utrumque parentem nunc defunctæ personæ jungebatur, superstitis autem fratres per patrem solum forsan, aut matrem ei jungebantur: præponantur istius filii proprii thii, licet in tertio sint gradu, (sive a patre, sive a matre sint thii, et sive masculi, sive femine) sicut eorum parens præponeretur si viveret. Et ex diverso siquidem superstes frater, ex utroque parente conjungitur defuncto, præmortuus autem per unum parentem jungebatur: hujus filios ab hereditate excludimus sicut ipse, si viveret, ab hereditate excluderetur. Huiusmodi vero privilegium in hoc ordine cognationis solis præbemus fratrum masculorum et feminarum filiis aut filiabus, ut in suorum parentum jura succedant. Nulli enim alii omnino personæ ex hoc beneficium conferimus, quando cum propriis ipsis fratrum filiis tunc hoc beneficium conferimus, quando cum propriis iudicantur thii masculis et feminis, sive paterni, sive materni sint. Si autem cum fratribus defuncti etiam ascendentes (sicut jam diximus) ad hereditatem vocantur: nullo²⁰ modo ad successione ab intestato fratris aut sororis filios vocari permittimus: neque si ex utroque parente eorum pater aut mater defuncto jungebatur. Quandoquidem igitur fratris et sororis filii tale privilegium dedimus, ut in propriorum parentum succedentes locum, soli in tertio constituti gradu, cum iis qui in secundo gradu sint, ad hereditatem vocentur, illud palam est, quia thii defuncti masculis et feminis, sive a patre sive a matre, præponuntur, si etiam illi tertium cognationis similiter obtineant gradum. — § 1. Si²¹ vero neque fratres, neque filios fratrum (sicut diximus) defunctus reliquerit, omnes deinceps a latere cognatos ad hereditatem vocamus, secundum unius personarum numerum inter eos hereditas dividatur: quod in²² capita nostræ leges appellant.

CAP. IV. *De agnatorum jure in hereditate sublato.*

Nullam vero volumus esse differentiam in quacunq[ue] successione ad hereditatem inter eos, qui ad hereditatem vocantur, masculos ac feminas, quos ad hereditatem communiter definitivum vocari²⁴ sive per masculi, sive per femine personam defuncto jungebantur: sed in omnibus successioneibus agnatorum cognatorumque differentiam vacare²⁵ præcipimus, sive per femineam personam, sive per emancipationem, sive per alium quemlibet modum prioribus legibus tractabatur, et omnes sine qualibet huiusmodi differentia, secundum proprium cognationis gradum ad cognatorum successione ab intestato venire præcipimus.

her.—13. Abrogat. L. 53, C. de legit. hered.; L. ult. in fin., C. commun. de success.—14. Authent. Cessante, C. de legit. heredib.—15. Fac. tit. D. unde legitim. unde cognati.—16. N. 84, c. 1, § 1 et 2.—17. c. 2, supr. hic; L. ult. C. commun. de success.; d. N. 84, c. 1, § 2.—18. Authent. Post fratres autem, C. de legit. heredib.—19. Abrog. L. 5, L. 14, § 1, C. de legit. heredib.—20. Abrog. N. 127, c. 1.—21. Authent. Post fratres, C. de legit. hered.—22. L. 11, C. famil. cresci.—23. L. 2, § 2, D. de suis et legit.; L. 14, in fin.; § 1, C. de legit. heredib.—24. N. 18, c. 4.—25. Abrog. L. 5, C. de legit. hered.